

# De lichenum apud Helvetios studiis

Objekttyp: **Chapter**

Zeitschrift: **Bericht über die Thätigkeit der St. Gallischen Naturwissenschaftlichen Gesellschaft**

Band (Jahr): **23 (1881-1882)**

PDF erstellt am: **29.06.2024**

## Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

## II.

**De lichenum apud Helvetios studiis.**

Jam sexto et decimo saeculo, quo tempore cum herbarum scientia erat perrara, tum peritia lichenum fere nulla, a Conr. Gessner et Leon. Fuchs, Helvetiae viris doctissimis, atque initio septimi et decimi saeculi a Casp. Bauhin lichenes nonnulli sunt descripti; item anno 1680 a Joanne Jac. Wagner in „*Historia naturali Helvetiae curiosa*, Tigur. 1680“ quaedam de lichenibus Helvetiae in vulgus edita sunt. Postquam Tournefort 1699, quid interesset inter lichenes et muscos, cognovit docuitque illos proprium herbarum esse genus, cuius 44 species descripsit: in hac arte profecit Scheuchzer, Turicensis ille, qui in libro „*Itinera Alpina*“ 13 species antea ignotas pertractavit.\* Successit ei Alb. de Haller, vixit autem in medio saeculi superioris, unus ex peritissimis lichenum cognitoribus; vulgavit ille quidem 20 novas species in Helvetia nascentes, 200 descripsit.\*\* Post mortem Halleri lichenum studium apud Helvetios 30 annos conquievit et jacuit, cum extra Helvetiam lichenum peritia maximos progressus fecit, id quod in primis virorum Weber, Persoon, Hoffmann, Lamarck, Villars, Dickson, Smith, Borrer, Turner, Acharius, Swartz, Ehrhart opera factum est.

Helvetiorum 30 illis annis nisi Dris d'Ivernois excursiones in agro Neuenburgensi (cfr. Cornaz, *Lichens jurassiques* p. 5) studia et quaestiones possumus commemorare

---

\* Scheuchzer, Joh. Jac. *Itinera alpina*. Londini, 1708. Ed. II, Lugduni Batav., 1723.

\*\* Haller, Albr. *Enumeratio methodica stirpium Helvetiae indigenarum*. Göttingae, 1742. Id. *Historia stirpium indigenarum Helvetiae*. Bernae, 1768.

lichenologicas nullas. Recoluit et revocavit anno 1805 rationem lichenum J.-C. Schleicher in „*Plantis cryptogamicis Helvetiae*“, quae collectio unacum „*Catalogo plantarum Helvetiae*“, quem postea scripsit, plurimum contulerunt, ut *Helvetiae* lichenes vulgarentur. Eodem illo tempore Challiet in lichenum studiis versatum esse commemoratu est dignum (cfr. Cornaz l. c. p. 6).

Vel maxime praeter ceteros contulit ad lichenum scientiam Ludw. Eman. Schaefer, clericus Bernensis († in pago Bernensi Belp die 3º Febr. 1853). Is per 36 annos et colligit et investigavit atque collectione quae inscribitur „*Lichenes Helvetic exsiccati*“ multisque aliis, quos edidit libris\* non solum praeter ceteros oculos et attentionem virorum doctorum in lichenes Helveticos convertit, sed etiam ipse cum viris Floerke, El. Fries, Wallroth, Blytt, Wahlenberg, Sommerfelt, W. Hooker, Taylor, Flotow, Laurer, Mougéot, Ramond, Dufour, Duby, Delise, Garovaglio pro virili parte plurimum contulit ad scientiam lichenologicam inchoandam et excolendam. Una cum hoc Dr. Joann. Jac. Hegeschweiler, medicus Rifferswilensis († Riffersweil die 8º Mart. 1860) cum in mediterraneis *Helvetiae* lichenibus colligendis operam navavit, tum diligentiam et curam botanicorum in lichenes calcarios montis Pilatus ut attentione et studio dignissimos flectebat.

Simul Sanctus Garovaglio in vallibus montibusque ejus Rhaetiae partis, quam Itali provinciam Sondriensem vocant,

---

\* Schaefer L. E. *Gyrophorarum Helveticarum adumbratio* in: *Naturwissenschaftlicher Anzeiger für die Schweiz*. 1817. Id. *Lecidearum Helvetiae Enumeratio* ib. 1819. Id. *Lichenes Helvetic parenchymate pulveraceo instructi* ib. 1822. Id. *Umbilicariae Helveticae descriptae* in Seringe *Museum der Naturgeschichte Helvetiens* 1829. — De reliquis Schaeferi aliorumque autorum libris hoc loco non allatis cfr. App. II.

maximum numerum specierum vel rariorum vel adhuc incognitarum collegit. (Cfr. Anzi Cat. p. VII et VIII). Moritzi quoque et Heer inter eos, qui alpium orientalium lichenes investigarunt, nominandi sunt. Eadem ipsa tempestate (1842 ad 1848) in confinio Vallorbes Agassiz, in Jurasso Cornaz\* lichenum investigationem instituerunt.

Quorum vestigiis instituit Dr. Phil. Hepp e Palatinatu Bavarico, qui inde ex anno 1824 suo de lichenibus Würzburgensibus libro apud botanicos nobilitatus est. Qui cum omnium quendam libertatis amorem anno 1849 patria profugus ad exitum fere vitae (Frankf. a. M. die 5<sup>o</sup> Febr. 1867) liberalissimo Helvetiorum hospitio uteretur, vix dum solo mutato ad lichenum studia in pago Turicensi rursus amplexus eorum collectionem vulgavit; itemque fuit adjutor Schaeferi in edendis *Lichenibus Helveticis*. Postea peragrande regiones usque ad lacum Wallensem, superiorem Rheni vallem, vallem Engadin, pagos Unterwalden, Schwyz, Luzern, Uri, Aargau, Solothurn, Neuchatel et Baselland pervestigavit. Quanta in lichenum studio fuerit ejus opera atque industria, ex collectione Lichenum Europaeorum appareat, cuius autem editio in illa tempora incidit, in quibus recentissimi illi progressus atque incrementa opera Tulasne fratrum, Nylander, Schwendener in lichenologia fieri cooperunt. Studio histologico instituto cum lichenum peritia ad certam quandam artis rationem revocata est, tum species microscopica analysi sunt distinctae. Drem Hepp ea studia diligentissime exercuisse schedulae singulis collectionis particulis additae cum annotationibus optimis atque synonymia egregia maxime probant. Sed non solum ut lichenum cognitio augeretur, sed etiam alios ad

---

\* Cornaz Ed. *Énumération des lichens jurassiques et plus spécialement de ceux du Canton de Neuchâtel* (Extrait des *Bulletins de la société des sc. nat. de Neuchâtel*, Tome II). Neuchâtel, 1852.

eandem artem adducendo, ut in vulgus emanaret, Dr<sup>r</sup> Hepp effecit. In primis et in Helvetia et in australibus Germaniae partibus vir doctus magnum botanicorum numerum ad studium lichenum incitavit et singulari quadam morum comitate eos adjuvit. Idem G. Theobald († Curiae die 15<sup>o</sup> Sept. 1869), cuius nomen in geologia est celebratum, in excursionibus montanis ad lichenes oculos convertit indicemque lichenum Rhaeticorum\* copiosum conscripsit, cui Killias\*\*, Theobald ipse\*\*\* et Brügger† supplementa haud exigua subjunxerunt.

Helvetiae in regionibus ad occidentem vergentibus Dr. J. Müller, rei herbariae professor in universitate Genevensi, qui ut inter omnes constat, etiam in aliis botanicae generibus egregie elaboravit, in lichenum studio versatus prescriptionem lichenum Genevae atque locorum urbi huic propinquorum edidit. Item multa in ratione Lichenologiae nova in Valisia invenit. †† Nuperrime in agro Genevensi Dom. J. Rome operam suam cum eo conjunxit.

---

\* Theobald G., *Bündner Flechten* in *Jahresbericht der Naturforschenden Gesellschaft Graubündens*. Neue Folge III, Chur 1858.

\*\* E. Killias, *Erster und zweiter Nachtrag zu den Moos- und Flechtenverzeichnissen* in *Jahresbericht*. Neue Folge V, 1860 p. 80, 81 und VI, 1861 p. 245.

\*\*\* Theobald. *Dritter Nachtrag* in *Jahresbericht*. Neue Folge XI, 1866.

† Brügger Dr. Chr. Georg, *Bündner Flechten* ib. p. 171.

†† Müller, id quod dolemus, usque ad hunc diem differentias specificas, quae in speciebus inter se similibus reagentiis chemicis adhibitis apparent, phytographice exprimere non curavit, quamquam eaedem ipsae differentiae summi sunt momenti. Ut mea quidem fert opinio, fieri non potest, quin ea ratio ex hac parte explorandi mox in usum communem abeat. Th. Fries quidem in priore parte *Lichenographiae Scandinavicae* (1871) has reactiones obiter tractavit et in pluribus stirpibus e. g. *Parmeliae olivaceae*, *Lecanorae variae* multas vel maxime vulgares species omisit; itaque in iis finibus, quos Nylander in *Prodromo Lichenographiae Scandinavicae* (1861) delineavit, se continuit. In altera libri

Praeterea inter annos 1860 et 1881 in finibus Helvetiae ad meridiem spectantibus lichenum studium Itali botanici diligentissime amplexi sunt. Praeter ceteros M. Anzi professor Neocomensis omni laude dignus est; is loca lacui Comensi propinqua, Vallem Tellinam, regionem ad Bormio sitam pervestigavit. Accedunt Carestia, Baglietto et De Notaris, quorum ille adjutore ex parte Dre Baglietto in latere australi Monterosa, hi in regionibus inter lacum Verbanum et montem Simplon lichenes describendos sibi sumpserunt.\* Denique professor L. Fischer, de flora Bernensi optime meritus, cis alpes in eodem genere multum profecit.\*\*

Messis lichenum Urnensium larga, cuius gratia studio Professoris Antonii Gisler sens debetur, itemque augmen-

---

sui parte (1874) reagentiis praecipuam quandam curam impedit, quin immo efficacitatem Acidi nitrici non bene comparandam cum reagentiis Dris Nylander ut adjumentum gravissimum in lichenologiam describendam induxit.

Quodsi peritissimi algologi ex natura materiarum colorantium differentias vere genericas arbitrantur („diese beiden Farbstoffe — das rothe bis rothbraune Gloeocapsin und das gelbe bis dunkelbraune Scytonemin — sind in systematischer Beziehung sehr constant, so dass sie zum mindesten eine generische Verschiedenheit begründen. Es müssen daher Gloeocapsen mit gelben Membranen als besondere Gattung — *Xanthocapsa* Naeg. — ausgeschieden werden.“ Naegeli-Schwendener *Mikroskop*, p. 507), nos nihil est, quod adhibitis diversis lichenum chromogeniis ad species reperiendas ac distinguendas aliquid obesse putemus.

\* Baglietto F., *Excursione lichenologica del Lago maggiore al Sempione* in *Commentario della Società crittagamologica italiana*. Vol. I, No. 4, p. 287, Genova 1863. Baglietto F. ed A. Carestia *Licheni nuovi dell' alta Valsesia*. Ib. No. 5, p. 439, Genova 1864. Iid. *Alcuni Licheni nuovi dell' alta Valesia*. Ib. p. 82. Iid. *Catalogo dei Licheni della Valsesia*. Ib. No. 2, 240, Genova 1865 et No. 3 p. 321, Genova 1867.

\*\* Fischer L., *Verzeichniss der in Berns Umgebung vorkommen den kryptogamischen Pflanzen*. Erste Fortsetzung, aus den *Mittheilungen der bernischen naturforschenden Gesellschaft*. 1871.

tatio nostri catalogi studiis Dr<sup>is</sup> Hegetschweiler jun<sup>s</sup> circa lacus Turicensem et Tugensem honestissima commemoratione dignae sunt.

Neque alienigenae botanici sunt praetermittendi, qui itineribus per alpes susceptis in lichenes animum intenderunt, in quibus Dominos Schimper, Laurer, Rabenhorsti, A. Metzler honorifice appellare debemus.

Restat, ut collectio plantarum Helvetiae cryptogamica- rum a Wartmann et Schenk confecta praecipue commo- reteretur, qua lichenibus Helvetiae adhuc notis novi haud pauci adduntur.

E minoribus indicibus lichenum, qui modo de singu- lis locis et regionibus conscripti sunt, addendi videntur: Payot V., *Catalogue des Fougères, Prêles et Lycopodiacées des environs du Mont-Blanc suivi d'un catalogue des Mousses et des Lichens des mêmes localités*. Paris et Genève, 1860; d'Angreville M.-J.-E., *La Flore Vallaisanne*. Genève, 1863 et Puget, l'abbé, *Sur la végétation du Salève et du territoire qui s'étend de cette montagne au Mont de Vuache* in *Bull. Soc. Bot. de France XIII*, 1866.

Reliquum, ut doceamus lichenum Helvetiae, utique si ad- junxeris finitimas montis Montblanc partes et fastigium meridio- nale alpium usque ad ripas lacuum Italiae superioris fluminis- que Adda, studiis veterum et recentiorum collectorum summam omnes ceteras terras superantem, id est 1342 specierum auctam esse. Quaequidem summa per singulas tribus et genera quem- admodum divisa sit, apparebit ex hacce tabula, qua uno quasi obtutu Systema Lichenum Nylanderii intueare.

Tribus	Genera	Numeri Specierum
Trib. I. — Sirosiphei:	<i>Sirosiphon</i> . . .	6
	<i>Goniofema</i> . . .	1
	<i>Spilonema</i> . . .	1
Trib. II. — Pyrenopsei:	<i>Euopsis</i> . . .	1
	<i>Pyrenopsis</i> . . .	3
Trib. III. — { Subtr. I. — Ephebei: Homopsidei: { Subtr. II. — Phylliscoidei:	<i>Ephebe</i> . . .	1
	<i>Phylliscum</i> . . .	2
Trib. IV. — Lichinei:	<i>Pterygium</i> . . .	3
Trib. V. — Collemei:	<i>Synalissa</i> . . .	2
	<i>Synalissopsis</i> . .	1
	<i>Omphalaria</i> . . .	8
	<i>Collema</i> . . .	29
Trib. V. — Collemei:	<i>Collemodium</i> . .	5
	<i>Leptogium</i> . . .	20
	<i>Collemopsis</i> . . .	10
	<i>Sarcosagium</i> . . .	1
	<i>Aphanopsis</i> . . .	1
	<i>Trachylia</i> . . .	4
	<i>Calicium</i> . . .	24
	<i>Stenocybe</i> . . .	1
	<i>Coniocybe</i> . . .	4
	<i>Sphinctrina</i> . . .	3
Trib. VII. — Sphaerophorei:	<i>Sphaerophoron</i> . .	3
Trib. VIII. — Baeomycei:	<i>Gomphillus</i> . . .	1
	<i>Baeomyces</i> . . .	4
Trib. IX. — Stereocaulei:	<i>Stereocaulon</i> . .	6
	<i>Leprocaulon</i> . . .	1
Trib. X. — Cladonieci:	<i>Pycnothelia</i> . . .	1
	<i>Cladonia</i> . . .	39
	<i>Cladina</i> . . .	4
Trib. XI. — Siphulei:	<i>Thamnolia</i> . . .	1
Trib. XII. — Ramalinei:	<i>Ramalina</i> . . .	8
Trib. XIII. — Usneei:	<i>Usnea</i> . . .	8
	<i>Chlorella</i> . . .	1
Trib. XIV. — Cetrariei:	<i>Cetraria</i> . . .	3
	<i>Platysma</i> . . .	13
Trib. XV. — Alectoriei:	<i>Alectoria</i> . . .	8
	<i>Dufouria</i> . . .	2

	Translatio	234
Trib. XVI. — Parmeliei:		
	Evernia . . . .	4
	Parmelia . . . .	35
	Parmeliopsis . . .	2
Trib. XVII. — Stictei:		
	Stictina . . . .	3
	Lobarina . . . .	1
	Lobaria . . . .	1
	Ricasolia . . . .	2
Trib. XVIII. — { Subtr. I. — Peltidei:	Nephroma . . . .	2
Peltigerei: { Subtr. II. — Peltigerinei:	Peltidea . . . .	2
	Peltigera . . . .	8
	Neophromium . . .	1
	Solorina . . . .	4
Trib. XIX. — Physciei:	Physcia . . . .	28
Trib. XX. — Gyrophorei:	Umbilicaria . . .	2
	Gyrophora . . . .	16
Trib. XXI. — { Subtr. I. — Praepannariei:	Pannaria . . . .	5
Pannariei: { Subtr. II. — Heppiei:	Pannularia . . . .	5
	Amphiloma . . . .	1
	Heppia . . . .	3
	Solorinella . . . .	1
	Subtr. I. — Lecanorei:	258
Trib. XXII. — { Subtr. II. — Pertusariei:	Lecanora . . . .	1
Lecano- { Lecideei: { Subtr. III. — Thelotremai:	Dirina . . . .	1
	Pertusaria . . . .	24
	Varicellaria . . . .	1
	Phlyctis . . . .	2
	Thelotrema . . . .	1
	Urceolaria . . . .	5
	Subtr. IV. — Lecideei:	402
Trib. XXIII. — Graphidei:	Lecidea . . . .	1
	Lithographa . . . .	1
	Xylographa . . . .	2
	Agyrium . . . .	1
	Graphis . . . .	2
	Opegrapha . . . .	20
	Platygrapha . . . .	1
	Arthonia . . . .	30
Trib. XXIV. — Pyrenocarpei:	Melaspilea . . . .	6
	Thelocarpon . . . .	3
	Normandina . . . .	2
	Endocarpon . . . .	8

	Translatio	1130
Trib. XXIV. — Pyrenocarpei:	Verrucaria . . .	189
	Limboria . . . .	1
	Sarcopyrenia . . .	1
	Melanotheca . . .	1
	Thelopsis . . . .	2
	Mycoporum . . .	8
Trib. XXV. — Peridiei:	Endococcus . . .	10
	Summa .	1342

Omnibus, qui in hoc libro conscribendo, sua opera suoque consilio mihi auxilio fuerunt, summas gratias ago, cum Dominis Anzi, Baglietto, Carestia, Gisler sen<sup>i</sup>, Hegetschweiler jr<sup>i</sup>, Killias, Metzler, Müller, tum maxime autem D<sup>r</sup>i Nylander, qui summa liberalitate et cum otii sui detimento operam egregiam mihi impertivit.

Ne illud quidem est praetermittendum, mihi constitutum et deliberatum esse, ut quotannis additamenta, aut si opus erit, correcta aut emmenda in publicum edam, qua quidem in re ut mihi in posterum iidem isti doctissimi viri eadem atque ante munificentia et generositate auxiliari velint, majorem in modum rogo et obsecro.